Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36569
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

confusio subsequatur. Nonnumquam uero cum se uitium proter-
uie minime perpetrare cognoscunt compendiosius ad
correctionem ueniunt si alterius culpe manifestioris ex
latere requisito improperio confunduntur ut ex eo quod de-
fendere nequeunt cognoscant se tenere improbe quod de-
fendunt. Unde cum proterue paulus corinthios aduersum
se inuicem uideret inflatos ut alius apollo. alius pauli. alius
cephe. alius christi esse se diceret. Incestus culpam in medium
deduxit que aput eos et perpetrata fuerat et incorrecta
remanebat dicens. Auditur inter uos fornicatio et talis
fornicatio qualis nec inter gentes ita ut uxorem patris quis
habeat et uos inflati estis. et non magis habuistis luctum
ut tolleretur de medio uestrum qui hoc opus fecit. ac si aperte
dicat. Quid uos per proteruiam huius uel illius esse dicitis. qui
per dissolutionem negligentie nullius uos esse monstratis. At
contra pusillanimes aptius ad iter bene agendi redu-
cimus. si quedam illorum bona ex latere requiramus. ut dum
in eis alia reprehendendo corripimus. alia amplectendo
laudemus. quatenus eorum teneritudinem laus audita nu-
triat quam culpa increpata castigat. Plerumque autem utilius
apud illos proficimus. si et eorum bene gesta memoramus. et si qua
ab eis inordinate gesta sunt non iam tamquam perpetrata cor-
ripimus. sed quasi adhuc ne perpetrari debeant prohibemus.
ut et illa que approbamus illatus fauor augeat et contra ea
que reprehendimus. magis aput pusillanimes exhorta-
tio uerecunda conualescat. Unde idem paulus cum
thesalonicenses in accepta predicatione perdurantes
quasi de uicino mundi termino quadam cognosceret
pusillanimitate turbatos. prius in eis que fortia per-
spicit laudat et caute monendo postmodum que infir-
ma sunt roborat. Ait enim. Gratias agere debemus deo semper